

ad confectionem Sacramenti; ergo ut possit causaliter influere, debet saltem in sua virtute existere, dum fit Sacramentum. Ita *Viva* p. 2. de Sacrament. disp. 3. q. 2. a. 3. contra *Vasq.* qui negat antecedens. R. etiam ad 2. et 3. Suscipiens se habet passive, nec operatur nomine Christi; ergo minor advertentia in eo requiritur; Minister vero se habet active, et quidem ut operans nomine Christi, adeoque in eo requiritur major advertentia et libertas.

54. *Princip. III. Ad Sacramentum valide conficiendum non requiritur in Ministro fides, nec sanctitas sive status gratiae; hic tamen requiritur ad Sacramentum licite conficiendum; unde per se loquendo peccat mortaliter, qui conficit Sacramentum in statu peccati mortalis tanquam Minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputatus. Primum patet ex Trid. Sess. 7. Can. 4. de Bapt. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; anathema sit. Ibid. Can. 12. de Sacrament. Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit. Ratio autem est: quia Sacramenta virtutem suam habent ex meritis Christi, suntque moraliter actiones Christi: ergo valorem suum non habent a sanctitate Ministri secundarii, qui tantum operatur in virtute Christi, ut ait *S. Thom.* l. c. a. 9. *Conf.* 1. ex 1. *Cor.* 3. ubi reprehenduntur aemulantes de praecellentia Ministrorum: Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis. *Confirmat.* 2. ex *S. Greg. Naz.* qui *Orat.* 40. in *S. Bapt.* ait: Sicut non refert, an sigillum sit aureum vel ferreum, quo fit potestas aut Regis gratia: an Medici manus sit sana, vel infirma, quae medicinam applicat; ita non refert, an Minister nobis per Sacramenta applicans merita Christi sit fidelis vel Sanctus. Hinc PP. si alicubi dicant, haereticos esse rebaptizandos, loquuntur de iis, qui non sunt baptizati adhibita debita materia vel forma.*

Prob. etiam secundum ex *S. Thom.* p. 3. q. 64. a. 6. in corp. ubi ait, conveniens esse, ut Sacramentorum Ministri sint justi, quia Ministri debent Domino conformari secundum illud *Levit.* 19. Sancti eritis, quoniam Ego sanctus sum... et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei et Ecclesiae, in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc pertinet ad irreverentiam Dei (quatenus scilicet mancipium diaboli, et hostis Christi vult sustinere personam Christi in sanctissima actione Christi) et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet Sacramenta secundum se incontaminabilia sint; consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale, et quidem Sacrilegii, eo quod sancta indigne tractet in re gravi. *Confirm.* 1. *S. Paulus ad Tit.* 1. ait: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; ergo et alios dispensatores mysteriorum Dei oportet esse sine crimine. *Confirm.* 2. ex *Rituale Romano:* Impure, et indigne Sacramenta ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat: sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri. Vide etiam *Trid.* sess. 14. c. 6.

55. *Adverte:* Quae dicta sunt de sanctitate Ministri, intellige de Ministro solemnitatis, h. e. de eo, qui ratione certi officii, et specialis consecrationis ad Sacramenta administranda deputatur, qualis est Episcopus ordinans, Sacerdos consecrans etc. Minister autem necessitatis est, qui in casu necessitatis Sacramentum administrat, licet ad tale ministerium neque ex offi-

cio, neque ex speciali consecratione sit deputatus, qualis est quilibet Laicus in necessitate baptizans. De hoc ait *Laym.* lib. 5. t. 1. c. 5. n. 9. Si Laicus, vel alius Clericus, praeter Sacerdotem, in casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati mortalis, non videtur plus, quam venialiter peccare. Ratio est, quia Ministri necessitatis non vi officii, et ordinationis ac status, sed per accidens et quasi permissive tantum propter necessitatem Sacramentum ministrant: ergo non videtur ex hoc titulo illis imposita gravis obligatio ministrandi Sacramentum in statu gratiae. Contrarium docent *Gabr., Vasq., Lugo,* et alii graves AA. eo quod talis actio moraliter non minus sit actio Christi, et quod sancta sancte a quolibet, a nullo autem indigne et irreverenter tractanda sint; unde stante utriusque sententiae probabilitate, pro praxi Laici bene instruendi sunt, ut in casu necessitatis baptizantes prius eliciant contritionem perfectam.

56. *Sed Quid,* Si Sacerdos ob repentinam necessitatem ita urgentem, ut non supersit spatium eliciendae contritionis, statim debeat baptizare, aut absolvere? R. In tali casu per accidens excusabitur a peccato mortali. Ita expresse *S. Thom.* l. c. ad 3. ubi simul confirmat responsionem n. praeced. datam: In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset baptizare Laicus: sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti. Eodem modo excusari potest a gravi peccato, qui vel ignorat, vel non cogitat, se esse in statu peccati, dum Sacramentum administrat.

§. III. Resolvuntur Casus de Intentione Ministri.

CASUS I.

Juxta Martyrologium Romanum 25. Aug. Genesius, cum in theatro coram Diocletiano mysteriis Christianorum illuderet, et mimice baptizaretur ab alio mimo, inde sanctificatus est, et postea martyr obiit.

57. *Q. I.* An valeat Sacramentum collatum a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia? R. Non valet. Vide *Propos.* 28. ab *Alex. VIII.* damnatum: item *Can.* 11. *Sess.* 7. n. 49. cit. Denique idem *Trid.* *Sess.* 14. c. 6. declarat, poenitentem non esse vere, et coram Deo absolutum, si sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit, et postea subjungit: Nec is esset, nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem joco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret. Eadem est ratio de caeteris Sacramentis. Ex quibus inferitur, quod non sufficiat sola intentio ponendi caeremonias externas; alias posset confici Sacramentum etiam cum intentione opposita non faciendi, quod facit Ecclesia, quod in *cit. propos.* est damnatum. Praeterea intentio faciendi rem indifferentem ad esse Sacramentale non est sufficiens ad valorem Sacramenti; atqui sola intentio peragendi eos ritus et externas caeremonias mere materialiter est intentio faciendi rem indifferentem ad esse Sacramentale: ergo non sufficit. *Confirm.* ex Decreto *Leonis X.* ubi hic 12. Art. Lutheri damnatur: Si confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

58. *Q. II.* Unde ergo baptismus mimice collatus vim suam obtinuerit? R. *Martyrologium Romanum* nullibi baptismum mimice collato vim tribuit, sed asserit tantum, Genesium, cum illuderet mysteriis Ecclesiae, ex instinctu divino subito immutatum, et rite postea baptizatum, ac martyrio coronatum fuisse. Juxta alios si baptismus sine intentione collatus fuerit, Genesius non vi illius baptismi, sed vi amoris divini, quo ille subito divina

gratia exarsit, ac vi contritionis, quam simul elicit, sanctificatus fuit. Iterum juxta alios, mimus jocose baptizans vere tamen intentionem habuit faciendi, quod faciunt Christiani.

59. Ad historiam de s. Athanasio, qui puer alios pueros ex joco baptizasse fertur, respondet *Viva* in *Cursu Theol.* p. 7. diss. 3. q. 2. art. 2. ideo approbatum fuisse ab Alexandro Patriarcha Alexandrino baptismum illum, quia Athanasius praesumebatur habuisse intentionem sufficientem, eo quod interrogatus a Patriarcha dixerit, se voluisse facere, quod viderat Episcopum Alexandrinum fecisse. Alii hanc historiam tanquam valde dubiam merito existimant, quamvis referatur ex *Gratiano* ad C. Spiritus Sanctus 58. caus. 1. q. 1.

CASUS II.

Edmundus sacerdos vocatur a Sacristano ad excipiendas Confessiones; is ab initio paululum invitus, eo quod a componenda concione avocaretur, pacate tamen respondet: statim veniam; mox sepositis libris et calamo pergit ad Confessionale, quin aliam intentionem praemittat; post absolutionem anxius haeret, an ex defectu intentionis valida fuerit haec absolutio, tandem se solatur ex sententia S. Th. in 4. dist. 6. a. 2. quod non requiratur intentio mentalis: item ex 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. quod suppleat illum defectum fides, ac devotio. Item quod in verbis, quae profert Minister, exprimat intentio Ecclesiae, quae sufficiat ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exprimat ex parte Ministri.

60. Q. I. An Edmundus censendus sit habuisse sufficientem intentionem? R. Quamvis hic modus tam obiter accedendi ad Sacramenti administrationem ordinarie tenendus non sit; in casu tamen posito prudenter censi potest, Edmundum habuisse sufficientem intentionem, scilicet actualem directam, quamvis non reflexam, quia vocatus ad Confessiones excipiendas hoc ipso, quod dixerit, *statim veniam*, implicite dixit: *Statim administrabo Sacramentum poenitentiae*, quam voluntatem sufficienter continuavit per accessum ad Confessionale; hanc virtualiter habuit actu excipiens confessionem, poenitentiam injungens et absolvens, quae omnia vi illius responsi, et in eo contentae intentionis libere et humano modo egit; ergo. Idem in simili casu respondet *Burgh.* cent. 2. cas. 62. cum *Reginaldo et Diana.* Consentit *Gobat*, T. 1. *Theol. Exper.* n. 84. vide etiam *La Croix* lib. 6. p. 1. n. 59.

Neque dicas: Juxta n. 44. actualis intentio est actus advertenter et perceptibiliter imperans confectionem Sacramenti: atqui talem actum non habuit Edmundus advertenter ac perceptibiliter: ergo. R. D. Maj. est actus imperans advertenter reflexe N. directe vel exercite C. Edmundus reflexe quidem non advertit, quod actu habeat voluntatem conficiendi Sacramentum; eam tamen revera actualiter ita habuit, ut si reflexe de hoc actu cogitasset, dicere aliud non potuisset, quam: *satis advertenter volui, et intendi id facere, ad quod vocabar*, h. e. *volui administrare Sacramentum poenitentiae.* Signum autem sufficiens habitae intentionis actualis et directae est, si quis praesens animo, et attente faciat, quod facit, etiamsi antecedenter reflexe et expresse non dixerit vel cogitaverit: *Intendo hoc facere.* Vide *La Croix* l. c. cum *Bellarm.* ubi addit ex *Herinx*, quod scrupulosae reflexiones ad intentionem potius devotionem impediunt.

61. Q. II. An resolutiones ex *S. Thoma* fuerint sufficientes et rite applicatae? R. *Primo.* Si intellexerit, quod non requiratur intentio mentalis expresse manifestata, recte sensit: sic enim s. Thomam explicant *Gonet et Viva* l. c. R. *Secundo.* Quod fides ac devotio suppleat defectum intentionis, perperam intellexit, cum haec non sit sententia Angelici D. sed aliorum

ab ipso relata: eatenus tamen fides ac devotio possunt dici supplere non quidem ipsum defectum omnis intentionis, sed advertentiae sive reflexae cognitionis illius, quatenus ex eo, quod sibi praesens attente ac devote administraverit Sacramentum, quivis prudenter judicare potest, quod ad hanc actionem Sacramentalem sufficientem habuerit intentionem, et quod dubium de ea ceu scrupulus merito sit contemnendum. Idem sensus est de *tertia* sententia *S. Thom.* uti patet *ibid.* ex contextu.

62. Q. III. An defectum intentionis suppleat Christus aut Ecclesia? R. Etsi graves AA. id olim senserint; post Conc. tamen Flor. et Trid. certum est, quod nullum fiat Sacramentum, si debita materia, vel forma aut intentio ministri desit. Unde hoc solatium speculativum relinquimus iis AA. qui vixerunt ante Flor. et Trid. de quibus ait *Sporer* in *Theol. Sacram.* p. 1. c. 3. n. 160. *Nec credo D. Thom. vel alios ita sensuros fuisse, si post illa Concilia scripsissent.*

63. Q. IV. An et qualis attentio requiratur?

R. Requiritur talis attentio sive applicatio mentis, vi cujus Minister ita sit praesens animo, ut externae caeremoniae rite et humano modo peragantur, debite pronuncietur forma, et convenienter applicetur materia; hinc voluntaria distractio sub administratione Sacramenti juxta *Gobat* l. c. n. 97. est peccatum veniale; mortale vero, si adsit periculum aliquid notabile omittendi vel mutandi circa materiam aut formam; vel si intercedat contemptus actualis, vel virtualis, qualem juxta *Tamb.* hic l. 1. c. 2. §. 1. is habere censendus est, qui non nisi oscitanter, et distracte consuevit administrare Sacramenta.

64. Q. V. Quomodo peccet, qui sub actuali consecratione, per notabilem partem Canonis *voluntarie* distrahitur? R. Sunt, qui cum *Tamb.* l. c. et aliis gravibus AA. censent, quod talis peccet graviter, eo quod sit gravis irreverentia, in sacrificio tam distracte agere cum Deo, quo profitemur illum esse summe venerandum. Juxta plures autem talis tantum peccat venialiter, modo non adsit periculum aliquid omittendi, aut contemptus n. praeced. explicatus; quia tunc distractio nec ratione sui, nec ratione periculi, aut contemptus esset gravis irreverentia, nec ratione praesentis Christi: alias voluntaria distractio sub Communionem etiam foret grave peccatum, quod est contra communem, ita *Jansen.* cas. 88. n. 18. addit *Gobat* l. c. n. 97. majus esse periculum peccati mortalis propter distractiones in Confirmatione, et Extrema unctione, eo quod formae horum Sacramentorum sint prolixiores; *ib.* negat, everti essentiam Sacramentorum per distractiones. Plura de Sac. in specie.

CASUS III.

Eleusippus confessarius parvulos, aliosque rudes saepe sub conditione absolvit: si habeas sufficientem rationem, et dolorem etc. Consuetudinarius ordinarie dicit, dabo tibi absolutionem, sed ea conditione, ut evites hanc peccandi consuetudinem.

65. Q. I. An ad conficiendum Sacramentum requiratur intentio absoluta? R. Requiritur absoluta, ita ut non sufficiat conditionata, nisi haec ipsa tunc transeat actu in absolutam. Quia actio Sacramentalis debet esse efficax; atqui conditionata non est talis, sed sola absoluta; conditionata enim nihil ponit in esse, nisi subsistente conditione transeat in absolutam: uti transit de praeterito, vel praesenti re ipsa subsistente: ergo. Ita *Sporer* cum *Comm.* l. c. n. 128. Unde peccat graviter, nec valide conficit Sacramentum sub conditione de futuro, qua suspenditur valor. *Ratio* est: quia non est in potestate Ministri posita actione Sacramentali suspendere va-

lorem Sacramenti; imo si sub administratione non intendat conferre validum Sacramentum, postea nec erit validum, sive conditio impleatur, sive non, quia actio Sacramentalis tunc non est, quando impletur.

66. Q. II. An Eleusippus valide absolverit sub prima conditione? R. Ad 1. valide absolvit; quia fuit conditio de praesenti, quae non suspendit intentionem, et actionem, sed facit eam statim transire in absolutam, et efficacem, *Laym. L. 5. t. 1. c. 5. n. 13.* similes conditiones refert *Sporer l. c. n. 129.* v. g. *baptizo*, vel *absolvo te, si adhuc vivis.* Eodem modo conditiones de praeterito per se loquendo non invalidant Sacramentum, quia etiam istae extra causam positae, et jam tum absolutae sunt, quando fit actio Sacramentalis; v. g. *Baptizo te, si baptizatus non sis: absolvo te, si concubinam e domo ejecisti, si alienum restituisti etc.*

67. Q. III. An, et quando licite possit ac debeat confici Sacramentum sub conditione de praeterito, vel praesenti? R. 1. Nunquam licet Sacramentum *sine rationabili causa* administrare sub conditione de praeterito, vel praesenti: qui enim sub conditione profert formam Sacramentalem, conficit Sacramentum cum dubio et incerto eventu aut effectu, adeoque Sacramentum exponit periculo nullitatis; si enim conditio intentioni adjecta non subsisteret reipsa, Sacramentum vere esset nullum: ergo sicut nunquam sine gravi causa, v. g. necessitatis, licet adhibere materiam vel formam dubiam, ita nunquam absque gravi causa necessitatis vel magnae utilitatis licet Sacramentum conficere sub conditione de praeterito, vel praesenti. R. 2. Si vero adsit rationabilis causa necessitatis, vel quando urget prudens ratio dubitandi (et non tantum inanis scrupulus) an Sacramentum vere confectum, aut collatum sit, aut hic et nunc conferri possit, potest ac debet conferri Sacramentum sub conditione de praeterito vel praesenti; ut patet ex c. 2. de Bapt. L. 3. Decret. tit. 42., et ex praxi; nam Parochus, dum merito ac prudenter dubitat, an obstetrix infantem rite baptizaverit, recte iterum baptizat sub conditione; *si non sis baptizatus:* ideo Eleusippus in rationabili dubio, an puer, vel rudis (idem dicendum de moribundo) habeat sufficientem usum rationis, aut dolorem, recte addidit absolutioni conditionem: *Si habeas sufficientem rationem, aut dolorem, vel si sis debite dispositus;* in tali enim casu ipsa ratio prudens removet culpam ex parte Ministri, *Sporer l. c. n. 128.* Pariter juxta *Babenst. T. 8. p. 1. D. 2. n. 16.* confessarius in *prudenti* dubio, an poenitentem jam absolverit, nec ne, licite addit conditionem: *Si nondum te absolvi.* Ejusmodi tamen conditiones consultius sola mente, quam verbo fiunt, ne forte poenitens, si audiat, perturbetur.

68. Q. IV. An Eleusippus valide absolverit sub altera conditione de futuro? R. Si consuetudinarios absolvendo sub conditione intenderit tantum eos confirmare magis in serio proposito vitandi occasionem, valide et absolute absolvit: si vero intenderit suspendere absolutionis effectum, donec purificetur conditio, invalide absolvit juxta n. 65. De aliis conditionibus, praesertim quarum eventus humano modo non est cognoscibilis, v. g. *baptizo te, si Deus te praevideat cras moriturum, vel si sis praedestinatus,* uno verbo sufficiat notasse, quod adjectio hujusmodi conditionis numquam sit licita.

69. Porro observa. I. Intentio Ministri etiam debet esse *determinata ad certam materiam et personam.* Ratio est: Quia intentio Ministri debet ferri in illud, quod per formas Sacramentorum significatur: atqui per eas significatur materia et forma determinata: ergo. *Confirm.* Intentio debet esse efficax: atqui efficax nequit esse, nisi tendat ad singularia, quae sunt determinata: ergo. *Ita communiter.* Hinc si Sacerdos haberet ante se duas

hostias volens tantum unam consecrare non determinando quam, neutra consecraretur; intentio enim non esset determinata quoad materiam. Item si Cajum ablueres, et dirigeres formam Baptismi ad Titium, falsa esset forma, et invalidus Baptismus. Valet tamen Sacramentum, si error sit tantum speculativus circa personam, v. g. si Confessarius absolvat Petrum, putans esse Paulum, aut si quis baptizet masculum, putans esse puellam: item qui putaret, unam tantum se habere hostiam, cum habeat duas sibi cohaerentes, probabilius consecraret utramque. Ratio est, quia ordinarie est, et semper debet esse intentio conferendi Sacramentum personae praesenti, non vero expresse restringitur ad hanc in individuo personam, vel ad hanc unicam hostiam, quam Sacerdos apposuit, sed ad materiam appositam, et sibi moraliter approximatum, ergo quilibet censetur juxta hanc ordinariam intentionem conficere Sacramentum, *nisi eam expresse excludat.* Ita *Bened. XIV. L. 7. de Synod. c. 26. num. 1.* docet, Episcopum Ordines collatum laudabiliter quidem sub censuris praecipere, ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio ad ss. Ordines accedat; improbat tamen omnino Episcopi protestationem, se non habere intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, aut beneficio, vel litteris dimissorialibus sui Ordinarii carentes. *Ibid. n. 2.* subjungit, si quis aliquo ex iis impedimentis detentus ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit Episcopi intentio, talem iterum absolute esse ordinandum: si dubia sit Episcopi intentio, ordinationem sub conditione esse repetendam; denique infert: quare melius Episcopus prius de idoneitate ordinandorum inquireret, et ab illa protestatione circa intentionem abstinebit.

Praeterea error circa personam obstat valori matrimonii, hoc ipso quod hic error obstat valori contractus, ut dicitur de Matrimonio.

70. II. Non sufficit ad valorem Sacramenti intentio tantum indirecta, sed requiritur *directa.* Hinc non valet baptismus collatus ab ebrio, vel dormiente, qui voluit antea sic conferre. *Primo.* Quia actio Sacramentalis debet esse actio humana; atqui actio posita a plene ebrio, vel dormiente non est humana, cum non fiat libere, nec ex deliberatione rationis: ergo. *Secundo.* Talis actus non sufficit ad contractum humanum: ergo minus ad actum Ministri, quem Christus voluit esse dispensatorem fidelem mysteriorum Dei. *Tertio.* Pronuntiatio formae in tali statu non est locutio humana, quia non manifestat id, quod tum judicat; cum non habeat usum rationis et iudicii: ergo. Ita *La-Croix L. 6. p. 1. n. 55.*

71. III. *Non licet, etiam ex gravi causa, simulare administrationem Sacramentorum;* ideoque peccaret graviter Sacerdos, qui metu mortis adactus ad consecrandum, fecte tantum consecraret. Vide propos. 29. ab *Innoc. XI. damn.* Ratio est, quia talis simulatio non tantum est gravis irreverentia in Sacramentum, sed etiam reale mendacium in re gravi; talis enim exercite, et ipso facto diceret, se conficere Sacramentum, cum tamen reipsa non conficeret. Atqui juxta *Innoc. III. c. Super eo.* De usuris: *Neque pro vita defendenda licitum est mentiri.* Ergo. Adde, quod Sacerdos ille hostiam exponeret adorationi praesentium, et idololatriae externae a se ipso committendae. Sie *Innoc. III. c. 7. de celebr. Miss. innuit,* quod gravius peccet Sacerdos, qui simulat conficere corpus Christi, quam ille, qui conficit in mortali.

Confirm. ex resolutione Congregationis Sancti Officii coram Pontifice habitae die 6. Sept. 1625, quam refert *Bened. XIV. Tom. II. Bull. in Litteris ad Archi-episcopum Tarsensem,* quae incipiunt: *Postremo mense, de Baptismo Judaeorum, ubi §. 20. ita habetur: Sacra congregatio universalis*

Inquisitionis habita coram Sanctissimo, relatis litteris Episcopi Antiba-rensensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitali morbo, maleficiorum periculo, et Lupis, an in tali casu possint saltem fecte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma? Respondit negative quia Baptismus est janua Sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.

72. *Neque dicas*, simulationem formalem quidem esse illicitam, h. e. illam, quae fit cum voluntate directa decipiendi; licitam vero videri simulationem materialem, quae fit ob justam causam v. g. ob metum gravem, permittendo tantum aliorum deceptionem; fere sicut per aequivocationem directe non intenditur, sed ex justa causa tantum permittitur aliorum deceptio, ut dictum P. 1. n. 537. R. Quoties simulatio externa est Deo injuriosa, nullatenus licet, nequidem ad declinandam mortem: sic nullam ob causam licet fecte pejerare, blasphemare sine animo blasphemandi, aut exterius tantum thus adolere idolo absque animo adolendi, tacere aut dissimulare fidem, quando catholicus a potestate publica de ea interrogatur; ut constat ex propos. 18. ab *Innoc. XI.* damn.: ergo etiam ejusmodi simulatio materialis tantum est illicita, quia est Sacramentis injuriosa: reverentia enim illis debita non tantum exigit, ut sancte, sed etiam ut sincere tractentur. Addit *Viva* in propos. 29. ab *Innoc. XI.* damn. n. 14. quod in thesi proscripita fuerit tantum quaestio de simulatione materiali; ergo sub hoc sensu etiam tantum fuit damnata.

73. Ex his resolves 1. Non licet proferre verba consecratoria sine intentione consecrandi, si Sacerdoti ab haeretico vel venefico intentaretur mors, nisi consecraret omnem panem in foro extantem. Ita *Viva* l. c. n. 2.

74. 2. Non licet hostiam non consecratam pro consecrata praebere peccatori, quem Sacerdos ex sola confessione scit esse indignum Eucharistia; imo nequidem licet, etsi Sacerdos cum hostia non consecrata teneat simul aliam consecratam, ut circumstantes debitum objectum suae adorationis habeant, tum quia Sacerdos mentiretur, et adstantes deciperet, significaret enim se dare hostiam consecratam, quam non daret; tum quia praebere adstantibus occasionem adorandi hostiam non consecratam, tum quia ipse externam adorationem illi exhiberet, quae omnia sunt illicita. Ita *Duarte V. Simulatio*, n. 535., ubi contrariam sententiam vocat prorsus improbabilem et falsam, *Suarez* intolerabilem. *Viva* l. c. n. 10. cum *Henriq.* ait, licitum esse in tali casu, si praebetur hostia consecrata peccatori occulto, sed statim retrahatur, et in ciborio reponatur, si id fieri possit: si vero aliter fieri non possit, porrigenda est hostia consecrata, ne talis peccator diffametur, aut Confessionis sigillum frangatur, juxta exemplum Christi, qui potius Judae proditori S. Corpus suum porrigere voluit, quam infamare illum.

75. 3. Non licet Confessario verba absolutionis fecte proferre, h. e. cum intentione non absolvendi supra indispositum, etsi gravissima mala ei essent intentata: quia et hoc modo mentiretur non sine gravi irreverentia Sacramenti.

76. Q. I. *Quid ergo agendum Confessario, qui, si indigno negaret absolutionem in conspectu plurium adstantium, proderet indignitatem peccatoris et violaret sigillum?* R. Non deberet fecte formam absolutionis pronuntiare, nec liceret submissa voce dicere: *Neutiquam*, et postea clara voce addere: *Ego te absolvo*; sed deberet aliud, v. g. *Misereatur tui*, recitare, et data sola benedictione poenitentem (NB. prius monitum de non

impertienda absolutione) dimittere. Ratio est: quia sic non adhibetur forma Sacramenti: ergo nec in tali simulatione irrogatur Sacramento injuria, neque hoc modo intendit decipere adstantes, sed non proderet indignitatem hominis, et non violare sigillum. Ita *Viva* contra *Card. l. c. Duarte* l. c. n. 537. et seq. Eodem modo non peccat, qui ingreditur confessionale ea intentione, ut consulat Confessarium, quia ingredi confessionale sine animo simulandi Sacramentum est res de se indifferens.

77. *Neque dicas*: Juxta eundem *Viva* l. c. n. 12. ob urgentem metum gravem licet simulare contractum matrimonialem, v. g. *si Elesbaan post celebrata sponsalia peccaverit cum Eugenia sorore sponsae suae, ac propter impedimentum dirimens ex hac copula ortum nolit implere promissionem: ad vitandam autem mortem, quam ei parentes sponsae munitantur, potest contrahere matrimonium cum intentione se non obligandi, et simulandi contractum.* Ergo a pari. R. cum cit. *Viva* C. Ant. N. Cons. Ratio est, quia dum contractus matrimonialis simulatur, non ponitur materia aut forma Sacramenti, neque mutuus consensus: e contra dum quis simulat administrationem Sacramenti, v. g. poenitentiae, dicendo, *Ego te absolvo*, sine animo absolvendi, tunc ponit formam a Christo institutam ad conficiendum hoc Sacramentum. Adde, quod in Sacramento Matrimonii magis attendatur ad consensum internum, quia contractus non qualiscumque, sed verus et internus, quamvis per signa externa manifestetur, est materia matrimonii: in aliis vero Sacramentis magis attenditur ad signa externa; et ideo haec numquam licet simulare ob urgentem metum.

78. Contrarium resolvit *Duarte* l. c. n. 540. ubi pro praxi suadet, ut talis sponsus ad S. Poenitentiarium pro dispensatione super impedimento recurrat, vel de eo cum Episcopo conferat. *Quid autem, si res moram non patiatur?* R. Tunc manet probabilis sententia *Vivae*, quam, ut ipse ait, docent communiter cum *Palao*, vel saltem juxta hanc probabilem posset contrahere cum intentione petendi dispensationem super impedimento.

79. IV. Denique sufficit in Ministro sex primorum Sacramentorum intentio coacta, quam is nollet quidem habere, nunc tamen habet, quia ab extrinseco cogitur: v. g. *Si Parochus a Satrapa cogatur baptizare in aedibus privatis, etsi antea absolute noluerit, nisi in templo baptizare, ex gravi tandem metu cedit coactioni, et baptizat*: tunc sufficit haec intentio coacta: est enim actio humana, simpliciter libera, capax meriti et demeriti, et tantum secundum quid involuntaria. Ita *La Croix* L. 6. p. 1. n. 60.

Excipe Matrimonium, ad quod Ecclesia requirit perfectiorem libertatem, ut infra dicemus.

CASUS IV. De Sanctitate Ministri.

Erasmus a juventute vitis addictus, absolutis studiis factus Diaconus, ordinarie ministeria sui Ordinis obit in statu peccati mortalis: factus Sacerdos in eodem statu peccatorum sacra legit, excipit confessiones, S. Communionem distribuit, aliaque Sacramenta administrat, ritus in Ecclesia usitatos vel plane omittendo, vel contemptim tractando.

80. Q. I. An Erasmus Diaconus obeundo in statu peccati mortalis officia Ordinis, v. g. cantando solemniter Evangelium, peccaverit mortaliter? R. Probabiliter non peccavit graviter: quia tales actus, licet exercentur ex officio, non tamen sunt confectivi alicujus sacramenti, nec producant aliquam sanctitatem internam ex opere operato; nec immediate versantur circa Eucharistiam, sicut illius distributio. A peccato tamen veniali excusandus non est, hoc ipso, quod solemniter ritu exercent talem actum, ad quem est consecratus. Ita *Lugo* hic n. 152. *Bernal. Henriq. L.*